

tates et canonicos per istam s. Congregationem fuerit sub diebus prima Octobris et 3. Dec. 1661 ac 21. Jan. 1662 contra immemorabilem et antiquissimam consuetudinem illius ecclesiae resolutum ex nonnullis allegatis probationibus contrariae consuetudinis praecedentiam deberi vicario, adhuc concessa Capitulo remissoria ad probandam immemorabilem consuetudinem et delato processu ad s. Congregationem illoque una cum aliis juribus ad relationem Emmi Columnae ponentis examinato acriter utraque parte informantem in Congregatione habita sub die 28. Jul. proxime praeteriti censuit: *Praevio recessu a decretis praecedentiam deberi in choro et processioneibus Capitulo.* Verum quia Antonius Mansus modernus vicarius generalis, aegreferens hanc resolutionem et excogitans modum illam supplantandi et eludendi et imposterum inquietandi capitulum ejusque capitulares incoepit se jactare velle amovere a choro consuetam et fixam sedem vicarii generalibus assignatam in ordine capellanorum illamque in aliam ecclesiae partem transportare et situare, etiam in eminenti loco; unde capitulum praedictum ad tollenda futura inconvenientia et scandala et eliminandas novas lites et praetensiones denuo recurrit parte citata ad EE. PP. pro confirmatione dicti decreti emanati die 28. Jul. proximi praeteriti ad ejus favorem et impositione perpetui silentii eidem vicario supra dicta praetensa praecedentia, ipsique etiam inhiberi, ne ullo modo audeat amovere sedem fixam vel aliam de novo in quovis alio loco ponere, idque sperat obtinere ex rationibus et fundamentis deductis in scriptis alias sub memoriali datis et aliis quae dantur in praesenti. Et Deus etc.

Iterum per Emum Columnam proposita causa Melevitana praecedentiae

pro capitulo et archidiacono cathedralis contra vicarium generalem s. Rituum Congregatio ad relationem ejusdem Emi Columnae rescripsit: *Episcopus non permittat aliquid innovari per vicarium inconsulta s. Congregatione. Quo vero ad praecedentiam in decisis et imponatur perpetuum silentium; et ita decrevit.*

Die 24. Nov. 1685.

Annotatio

*Facti pro capitulo, archidiacono et dignitatibus ecclesiae Melevitanae contra vicarium generalem episcopi.*

Quamvis capitulum ecclesiae cathedralis Melevitanae ejusque archidiaconus et aliae dignitates ab antiquissimo et immemorabili tempore citra semper consueverint praecedere vicarium episcopi in choro aliisque functionibus et actibus ecclesiasticis, tam praesente quam absente eodem episcopo, nihilominus D. Antonius Mansus vicarius generalis moderni episcopi dictae eccles. praetendens modo praecedere velle dictum capitulum ejusque dignit. non paratos et aspirans prae ceteris in choro occupare stallum illius primae dignitatis, in quo perpetuo sedere soluit archidiaconus capituli, in prosecutionem consimilis praetensionis alias et de anno 1661 propositae in hoc s. Tribunali ad relationem cl. mem. Card. Franciotti et respective tunc excitatae a D. Alexandro Bononia canonico ejusdem ecclesiae olim officium vicarii bo. me. Belaguer Episcopi exercente hujus praetensionis et novationis introductore; verum quia ostenso pro parte capituli die 2. Julii 1661, quod revera illi praecedentia deberetur, censuit ipsa S. C. ut praefata antiquissima consuetudo pro capitulo ser-

varetur. Et praesentato successive hujusmodi decreto dicto episcopo Belaguer, praedictus Alexander Bononia ejus vicarius intuens se omni jure destitutum ad sustinendam excitatam novitatem et propriam ejus ambitionem praecedere volentis et erogantis modum non minus supplantandi capitulum quam fraudandi dictum decretum, tandem modum invenit impugnandi eandem consuetudinem, quae pro capitulo semper viguit, negando illum viguisse et conando se contrarium probare curavit de proprio ejus Marte et absque ullo ordine et remissoria hujus s. Congregationis septem testes ad perpetuam rei memoriam examinari in ipsamet curia episcopali et fecit subinde suum episcopum reclamare adversus praedictum decretum et in suis literis reclamatoriis eidem S. C. directis, ut magis reclamatio ista reciperet fomentum, adjecit et respective inseruit fidem publicam depositionum dictorum septem testium asserentium contrariam consuetudinem ab illa capituli pro vicario vigere et viguisse. Unde auditis ab eadem S. C. ipsius Episcopi Belaguer reclamationibus ac visis depositionibus dictorum testium ita exhibitis prodiit, nullo ex parte capituli citato, decretum dicto Alexandro Bononiae vicario 1. Oct. ejusdem anni favorabile, cum quo responsum fuit illi praecedentiam deberi, et quo petita nova audientia in instantiam capituli non solum haec fuit denegata propter testimonium dictorum septem testium, sed, quod deterius est, favore dicti vicarii Bononiae statutum fuit in decisis die 3. Dec. ejusdem anni 1661 et successive 22. Jan. 1662 capitulo fuit quoque denegata remissoria et compulsoria ad probandam inveteratam ejus consuetudinem et possessionem praecedendi ab antiquissimo tempore citra, quasi fuisset impossibile ob dictum testimonium

septem testium ipsi S. Congregationi ab eodem episcopo adductum potuisse probari contrarium.

Quare audientes tunc archidiaconus et canonici ejusdem capituli seriem horum decretorum S. Congregationis emanatorum contra ipsam consuetudinem ejusque veritatem in capitulo vigentem et perpetuo observatam pro eodem archidiacono et aliis dignitatibus venerunt ad Urbem et comprobato fumo dictae consuetudinis et ejus veritatis, die 5. Aug. 1662 ab eadem s. Congregatione obtinuerunt remissoria et compulsoria, cum solita clausula: *Non redardato executione decreti pro dicto vicario Bononia emanati, ut supra die 1. Oct. 1661.*

Cumque expedita sit postmodum ad partes dicta remissoria et compulsoria examinatisque 22 testibus et compulsatis diversis antiquis et modernis juribus, fuit, his mediantibus, concludenter probatum, capitulum semper praecessisse et praecedere vicario et nullatenus unquam vicarium praecessisse capitulo ejusque dignitatibus ut infra demonstrabimus. Et quia etiam examen praedictorum testium absque ordine hujus s. Congregationis, sed de proprio Marte examinatorum ad instantiam praedicti vicarii Bononia, in quo nimium Congregatio se fundavit, erat falsum et malis artibus ab eodem Bononia extortum et a suo episcopo Belaguer suppositum, obstricti fuerunt praedicti canonici, qui ad curiam venerunt, etiam recurrere ad Summum Pontificem Alexandrum VII. adversum violentiam contra eos publice in choro cum magno populi scandalo peractam ac dicto vicario, cum fomento dicti sui episcopi Belaguer et respective adversus falsitatem eorundem testium ut supra machinatam et successive introdicta falsitatis causa hujusmodi

in iudicio criminali coram A. C. contra dictum Bononiam vicarium, eoque ad Urbem accessito et constituto ac postea habitato sub fideiussione de habendo domum et deinde Urbem pro carcere, compertum fuit quod aliud in dicto examine fuerat scriptum ab actuario curiae episcopalis, quam deposuerint et dixerint ipsi testes, qui unanimiter repetiti totum contrarium probando hanc falsitatem detegerunt.

Et quia deveniendum erat ad sententiam declaratoriam falsitatis dicti examinis et respective condemnatoriam ejusdem vicarii, iste in suis defensionibus negavit testes fuisse examinatos de ejus ordine minusque eum illos examinasse, sed eosdem examinasse notarium curiae episcopalis et ita ob defectum probationis propriae culpa suam evitavit condemnationem cum clausula tamen: *Ex hactenus deductis*. Et quoad examen fuit per iudicem criminalem de voto Congregationis ipsius A. C. declaratum falsum et prorsus nullam mereri fidem in iudicio nec extra prout ex sententia desuper promulgata et in iudicatum transacta. Sequuta autem dicta declaratione falsitatis examinis et remanente nostro capitulo et canonicis in suo primaevo jure et in eorum quietam et pacificam possessionem praecedendi, ac defuncto praedicto episcopo Belaguer, ei successit bo. me. Boena, cui mortuensi successit bo. me. Astiria et huic pariter decedenti successit Rmus Molina; et pro toto tempore horum Episcoporum Meliten. capitulum semper extitit in eadem quietam possessionem praecedendi illamque etiam pacifice continuavit absque eo, quod nullus prorsus ex quinque vicariis generalibus episcoporum praedictorum et capitularibus umquam praetendisset dictam possessionem intervertere et praecedere eidem capitulo et suis dig-

nitatibus, donec et quousque praedictus Rmus Molina ab ecclesia Melevitana transivit ad ecclesiam Herden, in qua cum anno praeterito successisset Rmus Coccus modernus episcopus Melevitanus fuit resuscitata per praedictum Antonium Mansum ejus vicarium generalem dicta praetensio praecedendi ad suggestionem supradicti canonici Bononiae et nonnullorum aliorum canonicorum ejusdem capituli, propter eorum particulare interesse et fines quos ita faciendo in gratiam dicti moderni episcopi sperant assequi posse in praejudicium et in supplantationem jurium ipsius ecclesiae ejusque capituli.

Rebus itaque in hoc statu se habentibus hodie tota causae quaestio restringitur ad praecedentiam et respective ad ejus manutentionem et cui eadem debeat, scilicet, an capitulo et ejus dignitatibus an vero dicto moderno vicario? Et utramque deberi capitulo et suis dignitatibus, non autem Vicario responderi supplicamus ex infrascriptis.

Licet enim in abstracto loquendo de jure determinatum non sit praecedentiam debere potius vicario quam capitulo, cum solum in hoc pugnant duae opiniones, altera Abbatis in cons. 21. lib. 1. vicario favorabilis, et alia Menochii illi contraria et favorabiles capitulo in cons. 51 et cons. 275, et comprobatur Riccardus apud eundem Menochium in cons. 52 sitque opinio Abbatis magis recepta, etiam quod fundamenta et rationes suae opinionis saltem in aliqua eorum parte videantur prorsus grossae et inanes, eum dicit convenire vicario praecedentiam etiam de jure divino, ut contra eum increpat Navarrus in cons. 1. de major. et obed. cum aliis hinc inde relatis a bo. m. Card. de Luca in praem. disc. 18, —

Nihilominus loquendo in concreto casus nostri nullum dubium est quin praecedentia capitulo debeat. Versatur enim in materia praecedentiae, in qua debet attendi observantia et consuetudo ipsius capituli, etiam ad formam caeremonialis romani lit. de sedib. Episcop. fol. 87; quae cum semper in hac ecclesia vigerit ad illius favorem et nequaquam ad favorem vicarii, non debet eadem alterari neque mutari sed debet servari juxta modum prius observatum et praeteritam consuetudinem, ut millies respondit ipsa s. Rituum Congregatio et signanter in Alexandrina 15. Maji 1603, ut testatur et refert Barbosa in Summa apost. decis. collect. 714 verbo: *Vicarius* n. 1. et alias refert resolutiones *Pignatellus* lib. 4. consult. 73. n. 5., *Sperellus* decis. 76. n. 3. et caeteris relatis tradit Card. de Luca in *Miscell. eccles. discurs.* 39. n. 4. et de praem. discurs. 78. n. 1 in fine, tum quia non sint introducendae novitates in ecclesia, quae semper dicuntur damnabiles, ut in puncto praecedentiae tradit Card. de Luca in *Miscell. eccles. dicto discursu* 39 n. 3 et 17, tum etiam quia ex ipso novationis et subversionis ordine scandalum generatur in populo, quod omnino cohiberi oportet, ut in eisdem terminis praecedentiae observat *Sperellus* d. decis. 76. n. 13. cum seq.

Quod autem in casu nostro capitulum ejusque dignitates et prae ceteris archidiaconus praecesserit in choro aliisque functionibus Vicario episcopi, controversi non potest neque debet. Primo quia Vicarius in ipso choro semper habuit proprium stallum constructum et positum sub sedem ipsius episcopi in primo loco ante capellanos, in quo ipse indutus vicariali habitu perpetuo sedere consuevit ut probant 22 testes examinati vigore re-

missoriae hujus s. Cong. Summario n. 4., quod demonstrat ad evidentiam consuetudinem sedendi in primo stallo archidiaconi post sedem pontificalem non fuisse vicarii sed ipsius archidiaconi in eo sedentis, cum nemo posset duplicem sedem et locum habere in uno eodemque choro et de ratione egregie *Ubaldis* decis. 121 n. 2 cum seq. et signanter n. 4., nec licet proprium deserere locum et alienum occupare, ut dixit Rota decis. 254 n. 27. p. 10. recent. Sed quilibet debet suas sedes retinere et in eisdem sedere juxta modum praescriptum in ipso choro, qui consuetudinem sedendi et respective praecedendi designat, quive modus praeposterari et deturpari non debet, ut docet *Baldus* in cap. *dum olim de consuetud.* et observat *Sperellus* dicta decis. 76. n. 3. in fine et pluries resolvit haec S. C. sicut refert *Barbosa* in Summa apost. decis. collect. 228. in verbo: *vicarius*, collect. 714. n. 1 et 2.

Secundo consuetudo capituli probatur esse quidem antiquissima ex septem testibus compulsatis in vim decreti hujus S. Congregationis et examinatis usque ab anno 1528 a Rmo de Nassis episcopo Nicopolensi vicario generali archiep. Panormi metropolitani et ab isto delegato in Insula Melitae cum facultatibus necessariis et opportunis ad derimendas praetensiones, quas tunc pariter excitabat vicarius generalis, praecedendi capitulum et ejus dignitates. Summ. n. 5.

Tertio probatur eadem consuetudo capituli ex sententia subsequuta de eodem anno 1528 prolata a dicto delegato metropolitani mediante examine praedictorum septem testium ibi: „Quoniam in choro et processionibus nullum locum tenere vicarium nobis constat etc.; Summ. n. 6., quae optime consuetudinem probat, nedum quia ex

actis et dictorum testium depositionibus justificata remanent, sed etiam quia, cum in eadem sententia antiquissima fiat commemoratio consuetudinis et observantiae tam dicti capituli Melevitani quam totius metropolitanae dioecesis Panorm., eadem consuetudo remansit concludenter probata, praesertim propter ejusdem sententiae antiquitatem, ut per Gravetam de antiquitate temporum par. 2. per totam et signanter n. 8.

Quarto consuetudo capituli probatur quoque a duobus historicis scilicet a Rmo Abbate Pirro et a Commendatore Abela facientibus mentionem de supradictis testibus examinatis anno 1521 et de sententia praedicti delegati et de vicario praecedentiam non habente in nostro choro et processionibus supra canonicos. Summario n. 7. Quibus historicis maxime est deferendum in casu nostro, ut alias in similibus respondit Rota dec. 183 n. 5. p. 13. et dec. 503 n. 6. et dec. 574 n. 5. et dec. 679 n. 9. et dec. 749 n. 2. p. 18. rec. Quinto etiam probatur consuetudo capituli ab alias testibus receptis et examinatis anno 1540 et 1545 deponentibus eos vidisse capitulum et dignitates semper praecedere vicariis generalibus et nunquam vidisse illis capitulo et dignitatibus praecessisse. Summ. n. 8.

Sexto comprobatur consuetudo capituli et respective ejus possessio praecedendi ex quodam decreto bo. mem. Duzzinae Visitoris Apostolici ex adverso dando emanato de 1575, in quo ipse Visitor arbitrans non convenire vicarium generalem sedere in choro et incedere in processionibus post canonicos declaravit, ibi: — (sunt propria verba decreti) R. Vicarius generalis videtur absurdum quod post omnes canonicos sedeat in choro et processionibus. — Cum au-

tem in dicto decreto fiat mentio de praecedentia per canonicos retenta, ergo eorum erat consuetudo praecedendi, non obstante quod haec ipsi visitatori videretur absurda quia potius erat congrua et honesta ac debita in vim praecedentis legitimae consuetudinis probatae per testes desuper recensitos et examinatos annis 1528, 1540 et 1545, ut etiam fuerat declaratum in praedicta sententia delegati metropolitani Panormi, cui sententiae et probationibus omnino standum erat, praesertim cum ab anno 1528 prolationis ipsius sententiae usque ad annum 1575 esset elapsum tempus annorum 40. et ultra et sententia fuisset observata pro toto tempore d. 40. annorum et ultra; unde propterea plane absurdum fuit ipsius visitoris declarare vicarium praecedere debere canonicis contra ipsam consuetudinem, cum sententia, quae dictam consuetudinem prius canonizaverat et quae etiam in iudicatum erat transacta et tanto tempore observata, de jure retractari non potuisset vel aliud fieri contra eam, ut dixit Rota dec. 152 n. 12. p. 17. rec. et cor. Celso d. 523 n. 13. et cor. Remboldo dec. 331 n. 4. vers.: *Maxime quia* d. sententia juncto n. 5. et proinde licet a praedicto visitatore hujusmodi emanasset decretum, hoc tamen fuit etiam undique nullum, quia prodiit capitulo non citato nec causa cognita et ideo tamquam tale nunquam fuit habitum in consideratione nec habuit effectum nec demandatum executioni prorsus evanuit, quia semper capitulum remansit in sua praecedentia et in continuatione suae possessionis.

Septimo justificatur quoque consuetudo capituli vicario praecedendi ex epistola anni 1606 hujus S. Congr. Sum. n. 9., ad quam cum recurrisset

capitulum, ex quo episcopus dicti temporis se jactabat velle suum vicarium praecedere et capitulum perturbare, fuit in d. epistola ordinatum ut circa praecedentiam ejusque consuetudinem et possessionem penes capitulum residentem nihil innovaretur, quodque si aliquid ipse episcopus in contrarium praetenderet, recurreret, praevia tamen citatione contra idem capitulum per ipsum facienda coram dicta S. Cong. et cum d. epistola fuisset in partibus expedita et praesentata, episcopus numquam citavit capitulum, sed acquievit et proprias deseruit jactationes, remanente semper capitulo in ejus quieti et pacifica possessione et observantia suae consuetudinis praecedendi vicarium.

Octavo consuetudo inconcussa capituli est quoque probata per 22 testes vigore remissoriae hujus S. Cong. examinatos in Sum. d. n. 4., qui non solum illam concludentissime probarunt cum observantia continuata per 40 et ultra annos sed etiam cum qualitate et requisitis verae consuetudinis immemorabilis, ut liquet ex lectura earum dispositionum relatarum d. Summario n. 4.

Nono demum consuetudo capituli probatur in casu nostro nedum ex alia consimili consuetudine vigente in metropolitana ecclesia Panormi, cui nostra Ecclesia Melevitana est suffraganea, ut liquet ex praefata sententia metropolitana data in Sum. n. 6., sed etiam a generali consuetudine pariter vigente in toto regno Siciliae, ut testatur Rmus Archiep. Messanen. in sua ep. scripta huic S. C. Summ. n. 10., ut dixit Rota corum Ubaldo p. 1. dec. 229 per totum et cor. Seraphino dec. 624 n. 4. et cor. Duno. dec. 246 n. 2. et indubitanter, cum etiam insula Melitae vivat cum consuetudinibus d. Regni ut dixit Rota dec. 356

n. 3. p. 14. rec. et testatur Card. de Lucca de dote disc. 90. n. 5. et de fidelc. in supplement. disc. 217 n. 8. cum duobus seq.

Ex quibus ita adductis et intimatis, sicut amplius dubitari nequit de praecedentia capituli ejusque dignitatum et de illius consuetudine et possessione, ut in terminis consuetudinis praecedendi dixit Rota cor. Pamphil. dec. 127 n. 2., ita eidem capitulo et dignitatibus competere debet manentio in quieti et pacifica possessione ejusdem praecedentiae, ut dixit Rota dec. 102 p. 10. et dec. 320 p. 11. et dec. 148 p. 12. et dec. 168 et 303 p. 16. et dec. 781 p. 28. rec.

His praemissis non adversatur compromissum anni 1546 inter tunc archidiaconum et episcopum Meliten., quia compromissum hujusmodi non tenet, cum agatur de praecedentia et sic de re gravissimi praejudicii, nisi factum esset cum solemnitatibus de jure requisitis, ut per *Gonzal.* super reg. 8. §. 4. praem. num. 30 et seq. et in terminis praecedentiae inter vicarium et capitulum Card. de Luca de canonicis disc. 30. num. 19, 20. lib. 12 et legitur factum ab ipso solo archidiacono nullam facultatem habente a capitulo et amplius non fuit factum ad desidendam controversiam super praecedentia, sed solum ut susperderetur in lite, quae tunc, ut in dicto compromisso refertur, verti sperabatur super dicta praecedentia coram episcopo Melevitano et nihil innovaretur interim, quo d. Episcopus, qui se contulerat ad Urbem, non reverteretur, ut ulterius pro eodem interim voluerunt stare declarationi fratris Martini Portalrubio, qui alias functus fuerat officio vicarii generalis, adjecta clausula: sine praejudicio jurium ambarum partium. Sum. num. 11. Unde quamvis d. Portalrubio declaraverit se dum

erat vicarius sedisse in propria sede episcopi, subdit decanum, qui est secunda dignitas contra ipsum protestatum fuisse eumque requisivisse ut vellet declarare, quod propterea nullum censeretur factum praejudicium canonicis et dignitatibus, prout ita idem compromissarius declaravit Sum. n. 12. et propterea sequitur quod licet dictus Portalrubio sederit in sede episcopi in sua absentia, sicut quoque deponit unus testis solitus ex adverso allegari examinatus anno 1545, non tamen potest dici aliquod jus sive possessionem d. vicario fuisse quaesitam stante d. protestatione et declaratione, ac etiam quia postea idem Portalrubio in processionibus nullam habuit praecedentiam, ut idem testis deponit Sum. num. 13., inessit una cum officialibus sive magistratu saeculari qui certe non praecedunt canonicis, et allegare dictam possessionem in propria sede episcopali est allegare maximum absurdum, quia vicarius numquam potest occupare sedem episcopi ut censuit S. Congr. Rituum in una Brundusina 16. Jul. 1605 relata per Barbosam in Summa apost. dec. collect. 714. n. 5., et quo tollit funditus omnem amaritudinem, quia huiusmodi actus inconveniens fuit ultra centum annos et consequenter etiam ex hoc capite amplius allegari non posset.

Minusque obstat decretum hujus S. Cong. anni 1619 emanatum pariter solitum ex adverso allegari pro praecedentia vicarii, quia, ultra quod nunquam fuit observatum nec demandatum executioni, fuit extortum, capitulo non citato et tacita supradicta antiquissima sententia metropolitani anni 1528, necnon inveterata observantia et consuetudine Capituli, qua mediante illud fuit semper in quiete et pacifica possessione praecedendi. Fuit quoque attentatum et respective extortum

contra formam alterius decreti ejusdem S. Cong. praecedenter pro capitulo emanati neque ab anno 1606, Summ. d. n. 9, in quo dictum fuerat ab ipsa S. Congr. quod capitulum non molestaretur in sua praecedentia nisi ipso citato coram eadem S. Cong.

Nec refragantur alia decreta ejusdem S. C. pariter pro vicario emanata d. annis 1661 et 1862, quia cum haec prodierint sub falso examine septem testium, tunc a Vicario Bononia suppositorum statim atque doceatur de dicta falsitate prout doctum fuit ex repetitione eorundem testium et ex sententia declarante illorum falsitatem, Summ. n. 2. et 3, et cum successive ab ipsamet S. Cong. fuisset capitulo concessa remissoria et compulsoria, in cujus executionem fuerunt compulsata praedicta jura et respective examinati 22. testes praecedentiam capituli justificantes et respective probantes, ut liquet ex Summario in numeris allegatis, d. decreta, sicut remanent sine fundamento probationis et adversantur undique eisdem d. nostra jura compulsata et testium depositiones; non solum attendi non debent, sed plane ventunt revocanda et persistendum in primo decreto facto die 2. Julii d. anni 1661 favore capituli, in quo fuit ordinatum, ut antiquum solitum servaretur, non obstante quodam alio praetense decreto pro parte D. moderni vicarii obtento sub die 2. Dec. proximi praeteriti, quia dictus vicarius illud obtinuit non solum capitulo non citato, sed etiam tacita dissimulata lite, quae in ipsa S. Cong. pendebat et pendet, de qua hodie agimus et propterea uti subreptitium allegari non meretur.

Et demum nullius est relevantiae quod dicti testes vigore remissoriae examinati non probent immemorabilem consuetudinem capituli, tum quia con-

stet de initio ejus praecedentiae desumpto a praedicta sententia anni 1528, tum etiam quia constet de praedictis actibus vicarii in contrarium, nam ultra quod immemorabilis fuit concludenter probata per dictos testes remissoriales etiam cum suis debitis requisitis, ut patet ex eorum lectura et tenore relato in Summ. d. n. 4., respondemus non subsistere in facto quod a praedicta sententia anni 1528 desumatur initium possessionis capituli. Ea enim licet prodierit dicto anno, tamen cum fuisset promulgata praevio examine septem testium tunc receptorum et deponentium ante dictum tempus capitulum praecessisse vicario Summ. d. n. 5., aut quod memoria possessionis capituli ejusque initii non constat et propterea sententia praedicta non destruit immemorabilem sed potius illam comprobatur ut dixit Rota coram Buratto decis. 436 a n. 4. cum seq. et decis. 730 n. 3. et 4. et in Recent. p. 10. decis. 168 n. 35 et part. 19. decis. 136. n. 32. cum seq. et comprobat Card. de Luca de Regalib. in supplem. disc. 184. n. 5. et 11. et de iudiciis dis. 21. n. 61, non obstantibus praedictis actibus in contrarium, quia ultra quod illi nunquam fuerunt effectuari, non percipiunt possessionem praecedendi vicarium capitulo, quia nunquam per vicarium docetur aliquem fuisse actum possessorium supra capitulum et dignitates in choro et aliis functionibus et consequenter dicti actus utpote non concernentes immemorabilem possessionem capituli ejusque consuetudinem illam non tollunt, sed potius cum non fuerint effectuari eandem confirmant, ut tradit Pignatellus lib. 1. consult. 104. n. 52.

Praeterea nec eget capitulum immemorabili et quatenus illa egeret, ei sufficeret praedicta sententia anno 1528, quae deservit pro valido vel saltem

titulo colorato sufficienti ad praescribendum juxta glossam in cap.: *si diligenti*, in verbo: *ejus fides de praescri.* et dixit Rota cor. Comitulo dec. III. n. 9. cum quo proinde juncta quadragenaria ista aequipollet immemorabili et operatur eundem effectum juxta textum in cap. 1. de praescript. in 6. et dixit Rota coram Coccino decis. n. 295 per totam.

Praesertim cum non agatur de praecedentia vicario debita ex aliqua lege et juris constitutione, sed ex communi doctorum opinione, quo casu cum consuetudo non sit contra jus sed praeter jus, eo magis remanent praescripta non solum per dictam quadragenariam cum titulo putativo ut in specie tradit Card. de Luc. de praem. disc. 18. n. 6 et 7. et dixit Rota dec. 20. n. 7. p. 3. rec., sed per decennalem Rota coram Dunoz. decis. 855 num. 6., et in Recent. pag. 10. decis. 102. n. 5. cum seq., Pamphil. decis. 127 n. 6. et ibi.: Adden. n. 7., non obstante quod dicatur irrationabilis dicta consuetudo, ut capitulum praecedat vicario, quia ultra quod capitulum est magis dignum quam persona vicarii, maxime dum accipitur collective et collegialiter, ut ex pluribus allegatis habetur in his terminis per Card. de Luca de praemin. d. dis. 18. n. 2. et seq., satis rationabilis remanet in praesenti hypotesi, cum si ea immutaretur remaneret turbatus totus ordo chori et causaret scandalum nedum in ista ecclesia Melevisana sed etiam in illa metropolit. Panormi caeterisque ecclesiis totius Regni Siciliae, et proinde satis, ut haec inconvenientia tollatur; constare dicitur de consuetudinis rationabilitate, ut in specie observat Sperellus dec. 76. n. 13. Et ex his responderi supplicamus praecedentiam deberi capitulo et dignitatibus ac respective mandari vicario sedere in suo